



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 63. Examen quæstionis, an Christus sumatur integre sub una specie?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

tionem sibi haud propitiam comperi-  
rent, atque Sessionis dilationem im-  
petrare desperarent, tandem ejus cele-  
brationi consenserunt, dummodo arti-  
culus ille silentio neutiquam obvolvere-  
tar, sed haberetur suspensus, adjecta  
Synodi declaratione, quod duo e quin-  
que articulis omitti, quam celerrime  
posset, per opportunitatem expendere-  
tur, & praeterea pollicerentur Legati,  
se Pontifici commendaturos Oratorum  
postulata: porro id ipsum postea etiam  
praestitere die nona Julii. Itaque de  
quatuor illis Canonibus agebatur, quo-  
rum mentio jam fuerat facta in conventu  
die trigesima Junii habito, Patres con-  
sensere in duos primos, non item in  
tertium.

§. LXIII.

*Examen quaestionis, an Christus su-  
matur integre sub una specie?*

Cum in hoc articulo quaestio move-  
retur, an Christus Dominus sub  
unica specie integer recipiatur? hinc  
Granatensis Archiepiscopus affirmabat,  
hanc quaestionem jam sub Julio III. fuisse  
definitam, cum illic declaratum esset,  
totum Christum integre contineri sub  
qualibet specie, ut proin, si rursus idem  
definiretur, objici posset, quod haec  
Synodus non sit prioris continuatio,  
sicque omnia priora decreta rursus

Saecul. XVI.  
A.C. 1562.

Pallav. c. 7.  
n. 6. & 7.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562

examinare oporteret. Verum Seripandus Cardinalis, quamvis Concilii continuationi faveret, veritus tamen, ne Archiepiscopi Granatensis oppositio animos occuparet, extemplo per eruditam dissertationem ostendit discrimen inter Canonem sub Julio III. sancitum, & illum, de quo agebatur; nam hic Cardinalis ita differebat: in duobus hæretici errarunt circa Eucharistiam, de re scilicet in Sacramento contenta, nec non de usu Sacramenti: porro priorem errorem rejiciebat damnatio, quam prior Synodus sub Julio Papa celebrata fecit, ubi Christi Corpus realiter esse præsens designabatur: nunc vero agitur de altero errore, nam in ejus usu versatur recens lutheri hæresis, dum ille improbabat consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ, quasi ea unam fidelibus tradens speciem haud plane satisfaciat Christi institutioni, per quam utraque species tradita est: His dictis Seripandus verba ipsius Lutheri proferebat, atque hunc errorem parato Canone damnandum esse afferebatur.

§. LXIV.

*Seripandi sententia de novo Canone conficiendo pluribus probata.*

*Pallav. n. 8.  
Es 9.*

His Seripandi rationibus plures acquievere, quibusdam tamen supervacaneum